

DE PIGNORIBUS.

8.14.1

Impp. Severus et Antoninus AA. Timotheo.

Debitor, qui pignoribus profitetur se creditoribus cedere, nihilo magis liberabitur.

PP. V k. Mart. Severo A. II et Albino consss.

[a. 194]

8.14.2

Idem AA. Lucio.

Quamvis constet specialiter quaedam et universa bona generaliter adversarium tuum pignori accepisse et aequale ius in omnibus habere, iurisdictio tamen temperanda est.

¶ Ideoque si certum est posse eum ex his, quae nominatim ei pignori obligata sunt, universum redigere debitum, ea, quae postea ex isdem bonis pignori accepisti, interim non auferri praeses iubebit.

PP. II k. Iun. Cilone et Libone consss.

[a. 204]

8.14.3

Idem A.A. Maximo.

Creditores, qui non redditia sibi pecunia conventionis legem ingressi possessionem exercent, vim quidem facere non videntur, attamen auctoritate praesidia possessionem adipisci debent.

PP. k. Mai. Antonino A. II et Geta II consss.

[a. 205]

8.14.4

Idem AA. Bellio.

Cum te pecuniam accepisse et agros tuos obligasse fateris, non habet rationem, quod quereris vi te coactum pignori dare, si igitur recipere vis rem tuam, solve creditori pecuniam debitam.

D. III k. Iun. Antonino A. III et Geta III consss.

[a. 208]

8.14.5

Imp. Antoninus. A. Domitio.

Praeses provinciae vir clarissimus ius pignoris tui exsequentem te audiet, nec tibi oberit sententia adversus debitorem tuum 'dicta, si eum collusisse cum adversario suo' aut, ut dicis, non causa cognita, sed praescriptione superatum esse constiterit.

PP. id. Mai. Romae duobus Aspris consss.

[a. 212]